

natando vix videri potest: in medio inferiore ventre itidem duas conjunctas, triangulares, latiores prioribus, sed breviores: has versus posticam partem corporis inferioris sequitur alia solitaria pinna, triangularis, lata, squammata, quae appendice continua, angusta, protenditur ad caudae fere exortum: in dorfi altera medietate versus posteriora, pinna est elata triangularis, lata, quae appendicem habet versus posticam partem vergentem, elevatam, triplo longiorem, instar funis crassioris. Septima pinna est pro cauda, quae secta est, et in amplam extenditur furcam. Squammis vestitur magnis, obrotundis seu peltatis, majoribus Imperiali, in dorso tamen minoribus materia squammarum alba, pellucida instar matris perlarum; sunt autem arcte sibi impositae squammae, ita ut quadruplices aut quintuplices jaceant, ac de qualibet ante aliam prominet pars figura lunae bifectae, quae argenteo obducta est (revera repraesentat argentum) et rivulos hinc inde difcurrentes monstrat argenteos in argenteo campo; ita totus piscis argento obductus videtur, praeterquam in dorso, ubi caeruleus est, argento tamen translucente. Pinnae omnes argenteae, praeter dorsalem, quae eundem colorem habet cum dorso. Carnem habet lentam, quae diu coqui debet, multae in carne spiniae, sed satis crassae, ut facile inter edendum extrahi possint. Magis aspectu quam esu piscis delector.

Comedi saepius ejus carnem, sed lenta est, et tantum famelico conveniens. Os superius ossa habet duritie aequalia ossibus alicujus animalis.

*Piratia Pua* ingentem adipiscitur magnitudinem, ut *Capu ripima*. Inferior mandibula paulo longior superiori: dentes acuti in tota mandibula inferiori, in superiori solum in medio, qui longiores, quemadmodum et medium in inferiori: Os ampliare amplissime potest in rotundum foramen. *Oculos* obtinet non ita longos pro corporis mole, pupilla crystallina. Branchias amplas, duras seu armatas. Corpore autem est oblongo, dorso paulum incurvato versus caput, et ventre mediocriter amplo. Pinnae habet septem: Vnam a summitate dorfi (incipientem

versus capitis fere exortum) ad caudae usque initium protensam, quoad medietatem anteriorem spinis suffultam, quoad posteriorem mollem sine spinis, in medio autem sui angustiore, anterieus latiore, posterius adhuc magis latam et quasi circinatam in extremitate. In quolibet latere post branchias, unam latam, et in extremitate circinatam, caetera quasi quadratam: sub his in infimo ventre duae propinquae sunt oblongae, haud latae, firmis spinis nixae: prope anum unam habet satis amplam, itidem circinata fimbria posterius, uti ea, quae in dorso. Corpus posterius quadrate extenditur, et continet septimam pinnam pro cauda, quae ampla est, et figurae paene quadratae. Squammulis vestitur parvulis, ita ut ad tactum glaber videatur, etiam si antrorsum mulceatur. Coloris est per totum corpus ex obscuro aureo epatici, qui tamen obscurior in dorso et summo capite huic autem color per totum retis in modum cinerei coloris liturae obtenduntur. Pinnae omnes ejusdem cum corpore coloris, laterales autem praeterea fimbrias habent aureas, reliquae epaticas. Carne satis probata est, si junior sit, nimirum sex, septem aut octo pondo; et assatus magis quam coctus, nam pinguis est: adultior vero ducentorum aut plurium pondo carnem habet probajulis; nec delicatorem carne *Camarupim* assu, nimirum lentam, tenacem, ac difficilis coctionis. Capitur in mari.

*Curema* species *Tainhae* grandis et crassa. Piscis marinus, in duorum pedum longitudinem excrecens, corpore oblongo, fere cylindraco, more Truttae fluviatilis, crasso et praepinguui. *Caput* in conum obtusum definit, superius compressum et latum, durum, squammis duris tectum. *Os* pro mole corporis parvum, parabolicum, labio superiori conspicuo, mobili, inferius autem os triangulare, obtusum discumbit, et paulo brevius est superiori, edentulum. *Oculi* magni, totundi, anterieus positi, nigri, circulo argenteo. Duo narium foramina supra os. Branchiae semilunares, haud amplae. Pinnae habet septem (octavam pro cauda, quae in duo cornua definit) nimirum duas postbranchiales, triangulatas